



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

15. S. Ioannes Damascenus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

arbitrij, nullam omnino indifferentiæ rationem habet. Quem sensum ejus qui plenissime perspicuum habere velit, legat ea quæ prolixè ex ipso infra prolaturi sumus libro octavo de gratia Christi.

Neque vero sanctus Fulgentius dissentit ab Augustino. Nam & ipse doctrinæ istius quamvis non expressa verba, quia necessitas non postulabat, lineamenta tamen quædam non obscura in scriptis suis expressit, dum & ipse sicut Augustinus, eò perducendum esse docet

CAPVT XIV.

Venerabilis Beda.

INTER Latinos Venerabilis Beda non postremus est, qui à libertate arbitrij, solam illam necessitatem violentiæ, quæ scilicet velimus nolimus operari effectum suum, excludit: idque non lemel aut iterum quasi per transennam ei excidit, sed iterum iterumque diligenter inculcat. Nam de primi hominis libertate tractans: Videndum est, inquit, quæ libertas illius arbitrij fuerit. Arbitrium certe liberum fuit, quamdiu sui potestatis exiit: ita ut nulla vi cogente nec Dei nec diaboli, quod vellet bonum seu malum faceret. Sed cum liberum esset hoc respectu, quod à nullo Domino nulla vi poterat ut vellet aliquid aut nollet, per se tamen debile erat. Et cum dixisset per peccatum primi parentis totum orbem servum esse factum peccati, sic pergit: Venit Dominus nos pristino restituens gradus, reddens arbitrium patri meo, liberum sicut prius à vi extranea, sed novâ debilitate propria, ut nemo sit qui de se presumat. Ecce afferit libertatem à vi extranea, admittens infirmitatem qua in alteram partem homo pronus urgeatur, ut ostendat ei constare arbitrij libertatem.

Hinc statim ad illam veterem questionem dissolvendam venit, quomodo libertas arbitrij possit cum divina prædeterminatione consistere, nec aliam in ea difficultatem movet, nisi quia videtur afferri necessitas violentiæ: Si, inquit, præordinat vitam bono, & mortem malo videtur non inferre libero arbitrio, quia cum prædeterminatio sua falli non possit, necesse est, ut malus sit, quem prædeterminavit ad mortem, & bonus sit quem prædeterminavit ad vitam. Vides hic libertatis interitum à necessitate formidari. Sed à qua necessitate? Et si necesse est hunc esse bonum & illum malum, perijt ergo liberum arbitrium, quod necesse

liberum arbitrium per gratiam Christi, ut peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret donec peccare potuisset. Nam Augustiniana phrasi adijcit: Primum homo accepit quidem gratiam, quæ posset non peccare si peccare nollet, nondam tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset. Vbi verbis utitur Augustini libertatem futuræ vitæ commendantis, sed loco vocabuli (libertatem) prænit (gratiam) idem tamen omnino utriusque sensus est.

cessitate cogitur. Vis planius? Quod si arbitrium non est liberum, sed cogitur necessitate. Vis adhuc inculcarius & invictius? Non est culpandus ille qui vellet nollet peccare; neque laudandus qui vellet nollet bene agere, sed laus & culpa soli cogenti est imputanda. Et aliquanto inferius objectionem ita solvit, ut solam vim cogentem ab arbitrij sive bonorum sive malorum libertate submoveat, nihil omnino de quavis alia Dei in humanum arbitrium operatione sollicitus: Prædeterminatio Dei, inquit, nulla vi cogit nos ad bonum vel malum. Itaque paulo post de malorum arbitrio: Coegit nos Deus ut mali sibi videremur ab æterno? At sit. Nam potius nos coegimus cum ut nos malos videret. Et de libertate bonorum iterum: Sicut ergo prædeterminatio ad mortem non cogit malos ut peccarent, sic etiam prædeterminatio ad vitam non cogit bonos ut salvarentur. Sed cum Dominus bonos ad vitam prædeterminavit, ita eos prædeterminavit ut ipsa sua prædeterminatio meritis & precibus nostris olimeatur. Quibus ultimis verbis divinæ gratiæ operationem liberum arbitrium tangit, cujus Beda studio obsequiosus adversus Pelagianos & castissimus assertor fuit. Nec tamen aliam libertati ruinam timet nisi per vim, qua velint nolint salute potantur. Vix potuisset evidentiùs Beda sensum suum de necessitate & libertate promerere, etiamsi de industria suum omnem studium eo contulisset. Nominat vim, violentiam, coactionem, necessitatem, non quamlibet, sed quæ veniens à nobis operatur effectum suum, ut ipsædem prænit verbis quibus Augustinus suam sententiam exprimat. Ille enim, ut sæpe diximus, illam solam necessitatem libero arbitrio timet, quæ etiam volumus, efficit id quod potest.

CAPVT XV.

Sanctus Ioannes Damascenus.

SED nullus est præter antiquorum qui magis existimatur esse adversarius illi sententiæ, cujus auctorem sanctum Augustinum esse diximus, quam sanctus Ioannes Damascenus, quare sententia ejus paulo accuratius exploranda est: fortassis enim patebit, vix quenkum esse anti-

quorum qui magis ad Augustinum accesserit. Nemo igitur quasi adversus Augustinum, proferat, quod dicat sapius, per liberum arbitrium nos habere actus nostros in nostra potestate, in nobis, in arbitrio nostro, vel quod in idem redit, esse nos dominos actuum nostrorum per arbitrij libertatem. Hæc enim non solum admittit

Ff

admittit

admittit libenter Augustinus, sed expresse docet, & ut late vidimus, in hoc ipso principio ita exposito ut divina gratia non repugnet, velut basi suam sententiam collocat. Per hæc ergo ipsa nihil aliud indicat Damascenus, nisi liberum arbitrium actus suos cum vult, exserere, cum vult, cohibere; ubi maxime & primitus est ipsum velle & nolle, prout supra in Augustini sententia exposuimus. Quapropter Augustino non dissentire Damascenum patet.

Primo quia liberum arbitrium nihil aliud esse docet quam voluntatem, ita ut eodem modo quo Augustinus passim liberum arbitrium voluntatis, & voluntatem idem omnino existimare videatur: *Cum divina natura suapte natura liberum arbitrium, volendi que facultatem habeat, homo quoque ut ipsius imago, arbitrii libertate volendi que facultate naturaliter præditus erit. Quippe Patres liberum arbitrium voluntatem esse deservierunt. Quod enim voluntatem in sua generalitate sumptam liberum arbitrium esse sentiat, ex eo liquet quod statim ita subjungat: Enimvero cum voluntatem dicimus, non eam coactam ac necessitate constructam, sed liberam dicimus &c. Necessitatem autem intelligit coactionem. Nam statim dicit, neque divinam, neque creatam naturam intellectualem nihil coactum habere: neque Deum etiam natura Deum, & bonum, necessario esse Deum & bonum: Equis enim ei hæc necessitatem imposuerit? Ex quo fit ut expressissimis verbis dicat: Arbitrii porro libertas nihil est aliud quam voluntas.*

Secundo quia docet, hominem hoc ipso esse liberum, quo rationalis, quia videlicet ex hoc ipso quo utitur consideratione rationali non sensitiva, necesse est voluntatis motum consequentem esse liberum: *Arbitrii libertas rationi annexa sit necesse est. Aut enim rationis particeps homo non erit, aut si ratione præditus sit, penes eum quoque actionum arbitrium & potestas futura est. Quod nisi de singulis actionibus quibus præluet ratio, non est verum, nihil efficit. Et paulo post: Ad hoc sciendum Angelos utpote ratione præditos, liberi arbitrii esse. Et libro tertio: Nam si voluntas, quam ut jam citavimus, non coactam, & liberam esse definitur, rationis particeps est, utique & libera. Et aperissime in libro de duabus Christi voluntatibus: Voluntas est appetitio cum sensu (græce vitalis) atque ratione, id est, vitalis & rationalis. Ac per ea quidem animalia quæ ratione carent, cum sensu non cum ratione, neque libere appetunt. Homo autem qui rationis est particeps, quia ex parte animal est, cum sensu appetit; sua rationis particeps, rationem ducem in appetendo sequitur, liberosque habet appetitus. Hinc est quod voluntatem seu volitionem semper definit esse motum rationalem, ut à brutorum impetu distinguat. Nam in eodem libro: Est igitur voluntas naturalis quedam appetitio rationi sensuque consentanea &c. Et libro secundo Orthodoxæ fidei: Voluntas est rationalis & vitalis appetitus. Quoniam videtur quidem nihil aliud esse quam ipsa naturalis vitalis & rationalis eorum omnium rerum quibus natura constituitur atque conservatur appetitio ac simplex tantummodo facultas.*

Quarto, quia liberum eo modo definit esse id quod est in nostra potestate, sicut hoc Augustinus solemner docuit, & supra quoque ex Damasceno vidimus. Quid sit autem in potestate, ex Augustino supra constitit. Porro ut etiam Damascenus declararet, quid esse, vel habere

tas. Etiam brutorum animalium appetitus, rationis expertus cum sit, voluntas nullo pacto dici potest. Et expresse hoc Damascenus (quam, inquit, deliberantem voluntatem vocant) ab electione proprie dicta distinguit. Ex quibus valde manifestum est, autore Damasceno; cur impetus illi non rationales, quibus homo percellitur non sunt ullo modo liberi, quia videlicet non sunt rationales. Eandem doctrinam ibidem iterum, sicut & alibi sæpius tradit.

Tertio non solum docet, hominem hoc ipso quo rationale esse liberum, sed etiam motus ejus hoc ipso quo rationales esse liberos, & à brutorum actionibus distingui. Nam cum libro secundo docuisset bruta solâ naturali appetitione & impetu duci, & propterea eorum appetitionem, non posse vocari voluntatem, neque naturalem videlicet, quam ipse ibidem docet esse finis, neque deliberantem quæ est mediatorum, rationem adiecit: *Voluntas siquidem est rationalis & naturalis atque à libera potestate manans appetitio. At in hominibus utpote ratione præditis, naturalis appetitio non tam ducit quam ducitur. Merita enim ac libera potestate, & cum ratione movetur, quod videlicet vitales (id est, appetitivæ) & in cognitione sita facultates in homine conjunctæ sunt. At prout libera potestate appetit, vult, quarit, considerat, deliberat, iudicat, assensitur, eligit, ad agendum fertur &c. Vbi nihil apertius dici potest, quam omnes omnino motus hominis, quæ rationalis à primo appetitu finis usque ad executionem mediatorum, esse liberos, idque ideo quia potestas appetitiva & cognitiva rationalis junctæ sunt. Et libro tertio ejusdem operis: Peculiaris porro vegetativa est motus ille in quo inest vis alendi, augendi, ac gignendi: sensitiva, interius motus: rationalis atque intellectualis, agnatio ea quæ in arbitrii libertate sita est. Quare si vegetativa naturaliter inest motus ea, in qua vis alendi inest, & sensitiva item interius motus, naturaliter etiam & rationali & intellectuali inest motus ille, qui ex arbitrii libertate existit. Et mox subjungit: Arbitrii porro libertas nihil aliud est quam voluntas. Et libro de duabus voluntatibus, definitis voluntatem quæ est facultatis ipsius motus, Voluntas, inquit, appetitio est eius quod ratione utitur, hoc est, naturæ rationalis, naturæ consentanea. Et aliâ definitione: Itemque mentis imperatricis liber motus. Non posset clarius declarare Damascenus, etiam hoc ex professo declarandum suscepisset, quod omnis voluntatis cum ratione motus, sit hoc ipso liber; sicut hoc ipso libera creatura, quæ rationalis, ut proinde si quæ necessitas in motu voluntatis reperitur, dummodo non sit violentia, nullo modo libertati ejus adversetur, dummodo rationalis motus voluntatis esse perseveret. Hoc ipsum tamen quod diximus eum sentire, adhuc uberius declaratur.*

Quarto, quia liberum eo modo definit esse id quod est in nostra potestate, sicut hoc Augustinus solemner docuit, & supra quoque ex Damasceno vidimus. Quid sit autem in potestate, ex Augustino supra constitit. Porro ut etiam Damascenus declararet, quid esse, vel habere

Lib. 3. Orth. fidei cap. 27.

ibid.

Lib. 1. Orth. fidei cap. 27.

Lib. 3. cap. 14.

Lib. de duab. Christi voluntatibus.

Orth. lib. 2. cap. 27.

ibid.

Lib. 3. cap. 14.

Lib. de duab. voluntatibus.

ibid.

habere in sua potestate, suę significationis amplitudine comprehenderet, docet ipse

Quintò id esse in nostra potestate, quod ultro & sponte fit, scilicet voluntate atque ratione. Nam alioquin agnoscat aliquid & in brutis esse spontaneum, quod scilicet libenter, sed sine rationali consideratione faciunt. Sic ergo loquitur de spontaneo, & eo quod est in potestate seu arbitrij libertate. *Ea qua sunt, partim in nostra potestate sita sunt, partim minime sita. In nostra potestate sunt ea qua libenter est nobis facere vel non facere. Id est, qua facimus si volumus, ut definit Augustinus, sed quia hoc strictius vulgi sensu dictum esse videbatur, explicationis loco adjicit: Hoc est, ea omnia que ultro & sponte facimus. Neque enim ea sponte a nobis fieri dicerentur, scilicet rationalibus ratione utentibus & agentibus (nam actio apud ipsum definitur operatio rationalis, ita ut huiusmodi actio non sit actio, quia non agunt sed aguntur) si actio in arbitrio nostro minime posita esset. Et hæc est causa cur Damascenus tum in eodem loco, tum alibi in eodem libro, id quod homo spontaneè facit, laudem & vituperationem commitem habere tradit. Porro ab hoc genere liberi & existentis in nostra potestate, statim distinguit, aliud genus liberi quod magis proprie tale vocari solet, de quo scilicet delibera- mus: *Proprie autem, inquit, in nostra potestate consistunt ea omnia, qua ad animum spectant, & de quibus deliberamus**

Sextò ut intelligeremus, quid sit illud spontaneum, expresse opponit illud coactum & invito. Nam libro secundo fidei orthodoxæ: *Quoniam id quod sponte fit in quadam actione, scilicet rationali, ut statim dicit, positum est, id quoque quod invito fieri censetur, in quadam etiam actione versatur necesse est. Et plerique sunt, qui id quod quoque quod quis invito facit &c. Et mox adjicit id quod sponte fit habere laudem vel vituperationem; & id quod invito fieri per vim vel per ignorantiam à principio quod est extra. Sponte vero quod nec per vim, nec per ignorantiam efficitur. Unde definitionem ejus aliam subiicit, qua declaret se solum loqui de spontaneo, quo aliquid sponte facit creatura rationalis: *Sponte id fieri dicitur cuius principium & causam continet is qui agit, resque singulas per quas actio geritur & in quibus versatur, quas Rhetores circumstantias appellant, compertas & exploratas habet.**

Septimò sicut coactum & invitum opposuit isti spontaneo creaturæ rationalis, ita eodem modo coactum seu violentiam opponit libero. Nam libro secundo cum hominem voluntate liberum creatum esse docuisset, ut esset capax virtutis & vitij, rationem adjicit: *Neque enim virtutis nomen obtinere potest, quod quis per vim atque invitum efficit. Quasi diceret, quod non efficit voluntatis libertate. Et libro tertio cum tradidisset, Christum habere voluntatem; *Etiam vero, inquit, cum voluntatem dicimus, non eam coactam ac necessitate constrictam, sed liberam dicimus &c. Neque enim divina solum & increata natura coactum nihil habet, sed ne intellectualis quidem & creata. Id quod hinc perspicuum est, nam cum Deus**

*A natura bonus sit, & natura conditor, & natura deus, haudquaquam hac necessario est. Equis enim hanc ei necessitatem imposuerit? Nihil luculentius asseri posset ad demonstrandum, quod liberam voluntatem opponit ei quod coactum est, & necessitate constrictum. Necessitate, inquam, non determinationis ad unum, sed illa quæ contra voluntatem est, ut ex declaratione de necessitate quam à Deo separat, apertissimum est. Quod ex illa significatione antiquis usitata fuit, qui non solent adhibere, imo abhorrent nomen necessitatis in divinis, etiam respectu actionum quas nos quam maxime necessarias, hoc est, ad unum determinatas dicimus, ut supra ex Augustini doctrina diximus. Quod quia non advertitur à recentioribus, in multas hallucinationes cadunt, dum audito nomine necessitatis, statim putant determinationem ad unum indicari. Sed opponunt Veteres necessitatem ei quod est in nostra potestate. Unde Damascenus: *Hinc efficitur, quia liberi arbitrij sumus, ut actiones nostre in nostra potestate sint. Alioquin si ex siderum motu contra facimus, sequitur ut ea qua facimus, necessitate faciamus. Et mox: Si quidem omnia necessitate aguntur & servantur, & supervacanea erit in nobis ea pars animi, in qua ratio est. Nam si nulla actio in nostro arbitrio & potestate sita est &c. In qua oppositione quam & Augustinus fecit, necessitas est ea quam in simili argumento definiit Augustinus ut salvaret libertatem; quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolimus efficit id quod potest. Eadem de causa sicut Augustinus (ut supra diximus) ita & Damascenus, naturam & id quod naturale est, opponit voluntati & illi quod est in nostra potestate, quia videlicet natura suum effectum etiam nobis nolentibus operatur: *Vires naturales & vitales hæc sunt, quæ ab animi inductione ortum non habent, ubi naturales vocat vegetativas, vitales, ut arteriarum, inquit, pulsus: Hæc namque, addit ipse, velimus nolimus, minus suum exequuntur. Qua de causa paulo ante dixit, Deum esse naturam bonum, & naturam Deum, haudquaquam tamen necessario.***

Hæc arbitror ad oculum ostendunt (tantum studium contentionis absit) ovum ovo non esse similis quam Damascenum Augustino in hoc argumento de essentiali arbitrij libertate, imo nonnulla luculentius quam Augustinum expressisse, cum tamen à recentioribus quam longissime ab illa sententia recessisse videretur. Sed jam non semel, neque sine animi dolore expertus sum, veteres auctores à quibusdam hominibus non discendi causa indifferenti animo legi, sed hoc uno duntaxat scopo ut suas præoccupatas opiniones, & quoquo modo defendendas, eorum auctoritatibus muniant. Ex quo fieri solet, ut quicquid quaerunt in eis inventiant. Non enim id quod ipsi sentiunt, sed quod sensibus suis quaqua ratione blandiatur, arripiunt. & obtorto collo in suas opiniones trahunt.

Neque vero quisquam isti doctrinæ contrarium putet, quod subinde Damascenus dicat, liberi arbitrij esse deliberare & delibe-
raturam

lib. 1. Orth. in cap. 16.

lib. 1. 24.

lib. 1.

dadh
indiu

lib. 1. Orth. in cap. 12.

lib. 1. cap. 14.

lib. 1. c. 7.

lib. 5. de Civ. in cap. 101.

lib. 2. de fide Orth. c. 12.

ratur eligere, vel non eligere, in potestate esse in hanc vel illam partem declinare, esse bonum vel malum prout visum fuerit, & similia; nam & Augustinus eadem, & forte instantius quam Damascenus docet. Nec tamen propterea sibi Augustinus adversus est. Nam

CAPVT XVI.

Sanctus Anselmus.

VENIAMVS ad sanctum Anselmum, eruditionis & sanctitatis gloria celebrem. Nam & ipse istius doctrinæ sancti Augustini quam aperuimus sectator non postremus est. Docet enim & ipse aliquoties, necessitatem illam esse proprie, quæ est coactionis & nolentem premit: si qua sit verò quedam voluntaria necessitas & immobilitas, illam non esse proprie necessitatem, nec ullo modo repugnare libertati voluntatis. Itaque in libro secundo, Cur Deus homo, de immutabili, necessaria, & tamen libera Angelorum iustitia cum loqueretur: *Improprie dicitur necessitas ubi nec coactio ulla est nec prohibitio. Hoc est, vis cogens nolentem & prohibens seu impediens volentem. Et multo inferius de Deo: Nec dicimus Deum necessitate facere aliquid eo quod in illo sit ulla necessitas, sed quoniam est in alio sicut dixi, impotentia quando dicitur non posse. Omnis quippe necessitas est aut coactio aut prohibitio: quæ duæ necessitati & convertuntur invicem contrarie, sicut necesse & impossibile. Et fundamentum istius doctrinæ suæ tangens, cur scilicet ubi voluntas est, non sit necessitas & e contrario; ubi non est voluntas, ibi sit necessitas: Omnis, inquit, potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico quia possum loqui vel ambulare, subauditur, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Nam cum dico, quia nolens possum trahi aut vinci, non est, nec mea potestas, sed necessitas & potestas alterius. Ecce aperte illuc non agnosci, eodem modo ut Augustinus, ullam proprie necessitatem quam illam, quæ ut Augustinus loquitur, etiam si nolimus, efficit id quod potest. Ex quo principio infert Angelos etiam nunc libere servare iustitiam, hoc est, bonam voluntatem suam, quæ iustitiam æternam, hoc est, Deum diligunt, nec enim alia est Angelorum iustitia. Hoc igitur modo, inquit, habet (Angelus qui peccare non potest) à se iustitiam (quia scilicet non abiecit eam quando abiecere poterat) quia creatura eam aliter à se habere nequit, & ideo laudandus est de sua iustitia, & non necessitate, sed libertate iustus est: quia improprie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est nec prohibitio. Id est, vis cogens nolentem vel impediens volentem.*

Secundo ex eodem principio deducit, Deum voluntate non necessitate esse iustum, et si peccare non possit, & inde laudandum esse, quia istud à se ipso habet non ab alio: Quæ propter quoniam Deus perfecte habet à se quicquid habet, ille maxime laudandus est de bonis

vel de quodam genere actionum loquuntur in humanis moribus celeberrimo: vel si de omnibus intelligi malis, de omnibus vera sunt, eo modo quo supra ex Augustino exposuimus, & infra fortasse dicturi sumus.

qua habet & servat, non ulla necessitate, sed sicut supra dixi, propria & æterna immutabilitate. Et alibi declarans, hoc non tantum esse verum respectu operum temporalium, sed etiam respectu voluntatis istius quæ suam veritatem diligit; Nihil ibi (in Deo respectu præteritorum) operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas quæ veritatem semper (quia ipse veritas est) sicut est, esse vult.

Tertio concludit, Christum Dominum iustum esse proprie libertate non necessitate, cum tamen iustitia Christi in eo sita sit, quod æternam iustitiam divinæ voluntatis à primo suæ conceptionis initio immutabiliter dihgat: Sic ergo homo ille qui idem ipse Deus erit, quoniam omnino bonum quod ipse habebit à se habebit (nempe quia simul Deus est, ut statim explicat) non necessitate, sed voluntate & libertate & à se ipso iustus est, & ideo laudandus erit. Et rursum de eadem Christi voluntate qua non potuit velle mentiri, velle servare vitam suam, præcepto de subeunda morte dato, ita loquitur: Quoniam cum Christus mentiens potestatem haberet (si scilicet velle et si velle non posset, juxta doctrinam de potestate supra traditam) hoc à se ipso habuit, ut non posset velle mentiri: ideo de sua iustitia, quæ veritatem servavit, esse eum laudandum. Et de potestate Christi servandi vitam suam: semper habuit potestatem servandi, quamvis nequiverit velle servare ut nunquam moreretur. Et quoniam hoc à se ipso habuit, ut scilicet velle non posset, non necessitate, sed libera potestate animam suam posuit. In quibus omnibus nihil ad libertatem Christi requirit, quam quia à se ipso habet quod velle non potest, hoc est, quia immutabiliter amat veritatem, iustitiam, præceptum Patris à quorum non potest dictione deficere, proinde non necessitatem sed immutabilitatem esse proprie voluntatis, quod in eodem capite sapius repetit. Unde tandem in fine: Si ergo ideo vere erat moriturus, quia hoc ipse sponte & immutabiliter voluit, sequitur illum non ob aliud non potuisse non mori, nisi quia immutabiliter voluntate voluit mori. Et rursum inferius: Non necessitate aut impotentia fieri vel non fieri dicit debet aliquid, ubi neque necessitas nec impotentia quicquam operantur, sed voluntas. Omnia ista duntaxat hoc scopo à me adducta sunt, ut ostendam sanctum Anselmum, nihil esse de Christi libertate sollicitum, dummodo ostendere possit eum suscepisse mortem, & non esse mentitum, non necessitate cogente vel prohibente, sed propria voluntate, quamvis impossibile fuerit, ut vel mentiretur, vel non morere-

Ansel. lib. 2.
Cur Deus
homo cap. 10

Cap. 17.

Cap. 10.

lib. 2. Cap.
Dionysius
cap. 16.

Cap. 18.